



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Capitvla.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

INNOCENTIVS TOLETANVM. CAROLVS IV. IMP.
P. VI. PETRVSCRVDELIS R. CASTELLÆ. 137

ANNO
CHRISTI
1355.

C A P I T V L A.

I.

Ne onerentur culpæ pondere ex transgressione constitutionum prouincialium Christi fideles, quibus diuina pietas iugo suaui & oneri leuiori supponere misericorditer est dignata, sacro approbante Concilio ordinamus, quod constitutiones prouinciales prædecessorum nostrorum, & quæ in futurum condentur, nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum, non ad culpam, sed ad pœnam tantum earumdem obligent transgressores.

II.

Quia in procœmio constitutionum prouincialium editarum per bonæ memoriæ dominum Ioannem prædecessorem nostrum, continentur hæc verba : [*Præcipimus constitutiones per dominum legatum editas in Concilio per eum apud Vallemoleti celebrato, cum infra scriptis per nos in præsenti Concilio editis obseruari.*] aliquibus graue periculum videatur, quod transgressores constitutionum domini cardinalis legati prædicti, quæ præceptum non continent, eos ad culpam obligent ex vi præcepti quod in dicto procœmio continetur ; & quia ex eo quod aliqui asserunt, quod eadem constitutiones domini legati non ligent, pro eo quod non fuerunt publicatæ integraliter modo & forma in procœmio earumdem traditis & contentis : nos sacro approbante Concilio statuimus & declaramus, quatenus vigore præcepti huiusmodi ad obseruantiam dictarum constitutionum præcepta domini cardinalis legati nos & subditos nostros non obligent, nisi in eo casu

Concil. Tom. 29.

S

modis & forma, quibus nos & eos dicti domini legati constitutiones statuerunt obligari.

ANNO
CHRISTI
1355.

In cuius rei testimonium praesentes literas per infrascrip-
tum notarium publicum in formam publicam redigi, ac
nostris sigilli appensione mandauimus communiri. Da-
tum loco, die, mense & anno predictis, praesentibus ve-
nerabilibus & discretis viris Hugone de la Manhama le-
gum doctore de Maiorito, ac Didaco Gonsalui de Tala-
uera, archidiaconis, ac Ioanne Alphonso de Villa regali
canonico ecclesiae Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis.

Et ego Alphonsus Fernandi publicus auctoritate ar-
chiepiscopali in ciuitate & dioecesi & prouincia Toleta-
na notarius, predictarum constitutionum editioni, publi-
cationi, ratificationi, ac omnibus & singulis supradictis
vna cum prænominatis testibus præsens interfui, & in
praesentibus literis meum solitum signum apposui rogatus
in testimonium veritatis.



VITA VRBANI PAPÆ V.

ANNO
CHRISTI
1362.

VRBANVS quintus patria Lemouicensis, antea Gui-
lelmus Grifant appellatus, ex abbe sancti Victoris
Massiliensis ad summum ecclesiæ fastigium electus est
quinto Kalendas Octobris, anno Christi 1362. sub imperio
Caroli IV. imperatoris, eo scilicet tempore, quo apud
vicecomites legatione fungebatur. Auenionem profectus
sua singulari animi magnitudine qua præditus erat, cardinalem Ægidium (de quo supra) in Italiam misit, vt libe-
ratatem ecclesiasticam tueretur. Eodem etiam ipse ponti-
ficatus sui anno quarto se contulit, vt controuersias ibi-
dem exortas sedaret & componeret. Quibus soperitis,
cum pia vrbis loca visitaret, sanctorum Petri & Pauli ca-
pita in loco satis vili reperit: quæ auro argentoque cir-
cumdari & exornari procurauit, solennique pompa in
Laterano reposuit. Orquieti & in Montefiascone palatia
cultissima extruxit, quod ea loca propter aeris tempe-
riem sibi posterisque suis conuenientissima essent. Mor-